



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Opera bona an mercantur vitam æternam. tit. 169

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

na bona, quæ Christus promisit suis fidelibus, &c.
Ideò iubet primùm quærere regnum Dei &c. Marc.

OPERA BONA AN ME.
reantur vitam æternam.

TITLVS CLXIX.

NOTANDVM primò, quòd de merito bonorum operum dicatur in scripturis dupliciter. Primò, quòd est meritum saluificum & propitiatorium, & sic solum est vnum opus in mundo, quod meretur totaliter, & causa est salutis æternæ, victima Christi, i. Ioan 2, Ipse est propitiatio pro peccatis &c. Esai. 53. Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, ideò est solum vnum saluificum meritum, & huius respectu nullum opus hominis meretur vitam æternam. Nam si solum est vnicum meritum Christi, quod meretur salutem, ergò nulli alij operi hominis tribui potest, & sic opera non merentur vitam æternam.

Secundò, loquitur scriptura de apprehensio merito, id est, quo homo per idonea media impetrat benedictionem promeritæ salutis per Christum. Et sic opera nostra dicuntur mereri largè ex gratia vitam æternam, non ex dignitate operum, sed ex promissione. Deus enim promisit per opera vt per media, distribuere nobis & proprium facere suum meritum. Ideò Christus iubet poenitere & credere, Marc. 1. Credere & baptizari, Marc. vltim. Obseruare sua præcepta ad ingressum regni, Matth. 19. dare pauperibus, Matth. 25. sic distributionem vitæ æternæ, quam Christus solum meruit, dicuntur opera nostra ex promissione mereri, non propria dignitate: sic inquit Matth. 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis &c. & de illo merito apprehensionis & acceptationis loquitur scriptura, non de stricto merito. Vnus est saluator Christus, qui meruit salutem in cruce, & reperit æternam vitam

redemptionem, Heb. 9. At distributionem nos mere-
mur ex promissione, &c.

Tertiò inquires: Ex quo omnium est vna fides, nun-
quid ex æquo accipiunt omnes meritum Christi, &
æquales sunt in gloria? Respondeo, Aliud est cælum,
& aliud præmia in cælo, Cælum omnes & beatitudi-
nem ex æquo habebūt, qui credunt & Deo obediunt,
sicut omnes stellæ ex æquo sunt in vno cælo. At præ-
mia in cælo sunt diuersa: hic vnus præcedet alterum,
sicut vna stella differt ab alia, 1. Cor. 15. & iuxta diuer-
sa merita sunt diuersæ mansiones, Ioan. 14. Sed & hoc
ex diuina est gratia, quòd sunt diuersa opera & diuer-
sa præmia. Nam nos non sumus sufficientes ex nobis
aliquid cogitare, 2. Cor. 2 & Paulus Rom. 6. Donū &
gratia est vita æterna. Præterea licet opera nostra sint
media, & non mereantur vitam æternam, sunt tamē
media per quæ distribuuntur nobis illa, & etiam iux-
ta gradus sua habebunt præmia diuersa, 1. Corint. 3.

*MERITVM AN SIT
operum.*

TITVLVS CLXX.

QVAERITVR, an sit aliquod meri-
tum operum, Roman. 8. Non sunt con-
dignæ passionēs ad futuram gloriam
&c. ergo nullum est meritum. Respon-
deo, 2. Tim. 4. Bonum certamē certauī,
&c. idcō repōsita est mihi corona iustitiæ, &c. ergo
est aliquod meritum operum. Item Luc. 17. Cū fe-
ceritis omnia &c. adhuc nihil debet Dominus seruo,
ergo nullum est meritum, Matth. 19. Si vis ad vitam
ingredi, serua mādāta. Ergo est aliquod meritum. Itē
si opera bona solū sunt media, per quæ Deus distri-
buit beneficia Christi, & per quæ nobis appropria-
mus & apprehendimus beneficia Christi, nul-
lum meritum habent opera, sed solū sunt velut
instru-